

M. ANNAEI LUCANI  
DE BELLO CIVILI  
LIBRI X

EDIDIT  
D. R. SHACKLETON BAILEY



BEROLINI ET NOVI EBORACI  
WALTER DE GRUYTER MMIX

## SIGLA

- Z = Parisinus bibl. publ. Lat. 10314 saec. IX 2/4  
M = Montepessulanus bibl. med. H 113 saec. IX 2/4  
P = Parisinus bibl. publ. Lat. 7502 saec. X ad 10.107  
praecisus  
G = Bruxellensis bibl. Burgund. 5330–32, olim Gembla-  
censis, saec. X  
U = Leidensis Vossianus Lat. XIXF. 63 saec. X  
V = Leidensis Vossianus Lat. XIXQ. 51 saec. X  
Ω = consensus ZM cum PGUV vel omnibus vel tribus vel  
duobus  
ω = PGUV  
A = Ashburnhamensis, Parisinus bibl. publ. Lat. ‘nouv.  
acq.’ 1626 saec. IX 2/4  
Z<sup>2</sup> = codicis Z correctiones quae etiam in A inveniuntur  
A<sup>2</sup> = codicis A correctiones quae in cod. Bernensi 45 in-  
veniuntur  
Π = fragmenta librorum sexti et septimi saec. IV–V in  
cod. Palatino Vaticano 24 servata  
N = fragmenta librorum quinti et sexti eiusdem fere  
aetatis in Vindobonensi 16 et Neapolitano IV A 8  
servata  
ſ = alii codices, praesertim recentiores  
c = scholia raro a me adhibita ex cod. Bernensi 370 saec.  
X med. vel 3/4 quae edidit H. Usener an. 1869  
C = eorundem lemmata  
a = annotationes super Lucanum in GU multisque aliis  
codicibus servatae quas edidit I. Endt an. 1909, raro  
citatae

lectionibus in textu ab Housmanianis discrepantibus stellu-  
lam supra lineam in apparatu critico apposui.

sit pietas aliis miracula tanta silere;  
 ast ego caelicolis gratum reor ire per omnis  
 hoc opus et sacras populis notescere leges.  
 sideribus, quae sola fugam moderantur Olympi  
 occuruntque polo, diversa potentia prima  
 mundi lege data est. sol tempora dividit aevi,  
 mutat nocte diem, radiisque potentibus astra  
 ire vetat cursusque vagos statione moratur;  
 luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet;  
 frigida Saturno glacies et zona nivalis  
 cessit; habet ventos incertaque fulmina Mavors;  
 sub Iove temperies et numquam turbidus aer;  
 at secunda Venus cunctarum semina rerum  
 possidet; immensae Cyllenius arbiter undae est.  
 hunc ubi pars caeli tenuit, qua mixta Leonis  
 sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes  
 exerit et varii mutator circulus anni  
 Aegoceron Cancrumque tenet, cui subdita Nili  
 ora latent, quae cum dominus percussit aquarum  
 igne superiecto, tunc Nilus fonte soluto,  
 exit ut Oceanus lunaribus incrementis,  
 iussus adest, auctusque suos non ante coartat  
 quam nox aestivas a sole receperit horas.  
 Vana fides veterum, Nilo, quod crescat in arva,  
 Aethiopum prodesse nives. non Arctos in illis  
 montibus aut Boreas. testis tibi sole perusti  
 ipse color populi calidique vaporibus Austri.  
 adde quod omne caput fluvii, quodcumque soluta

197 caelicolis ZUC : -olas MGV    201 (a)evi ΩC, *Isid. Or.* 3,  
 66, 3 et N. r. 22, 3 : anni V, *Alcuin ep.* 155    206 fulmina GUV :  
 flum- ZM : flam- ξ    209 und(a)e GUVC : -a ZM    211 rapi-  
 dos ZU : -do M : rabidos GV    212 mutator UVC : -atur  
 ZM, G(?)    214 quae cum] et q- cum M : haec cum Guyet : cum-  
 que haec coni. *Housman* (p. 334)    221 tibi ZG : sibi MUV

praecipitat glacies, ingresso vere tumescit  
 prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas  
 ante Canis radios nec ripis alligat amnem  
 ante parem nocti Libra sub iudice Phoebum.  
 inde etiam leges aliarum nescit aquarum,  
 nec tumet hibernus, cum longe sole remoto  
 officiis caret unda suis: dare iussus iniquo  
 temperiem caelo mediis aestatibus exit  
 sub torrente plaga, neu terras dissipet ignis  
 Nilus adest mundo contraque incensa Leonis  
 ora tumet Cancroque suam torrente Syenen  
 imploratus adest, nec campos liberat undis  
 donec in autumnum declinet Phoebus et umbras  
 extendat Meroe. quis causas reddere possit?  
 sic iussit natura parens discurrere Nilum,  
 sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas  
 his ascripsit aquis, quorum stata tempora flatus  
 continuique dies et in aera longa potestas,  
 vel quod ab occiduo depellunt nubila caelo  
 trans Noton et fluvio cogunt incumbere nimbos,  
 vel quod aquas totiens rumpentis litora Nili  
 adsiduo feriunt coguntque resistere fluctu;  
 ille mora cursus adversique obice ponti  
 aestuat in campos. sunt qui spiramina terris  
 esse putent magnosque cavae compagis hiatus:  
 commeat hac penitus tacitis discursibus unda  
 frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,  
 cum Phoebus pressit Meroen tellusque perusta  
 illuc duxit aquas; trahitur Gangesque Padusque

225 tabe ZGV : labe MU 236 Phoebus declinet V 237  
 meroe MGV : -oes ZU 240 stata GUV, *Prisc. GLK II*, 125.  
 474 : stat ZM 241 aera V : aere GU : are Z : arere M, *ut vid.*  
 242 depellunt] pellunt tot V 244 rumpentis MGC : -tes  
 ZUV 245 fluctu ZGC : -us MUV : flatu Σ 249 hac V : ac Ω

per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus  
 uno fonte vomens non uno gurgite perfert.  
 rumor ab Oceano, qui terras alligat omnes,  
 exundante procul violentum erumpere Nilum  
 aequoreosque sales longo mitescere tractu.  
 nec non Oceano pasci Phoebumque polosque  
 credimus: hunc, calidi tetigit cum bracchia Cancri,  
 sol rapit, atque undae plus quam quod digerat aer  
 tollitur; hoc noctes referunt Niloque profundunt.  
 ast ego, si tantam ius est mihi solvere litem,  
 quasdam, Caesar, aquas post mundi sera peracti  
 saecula concussis terrarum erumpere venis  
 non id agente deo, quasdam compage sub ipsa  
 cum toto coepisse reor, quas ille creator  
 atque opifex rerum certo sub iure coercet.

Quae tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est,  
 et Phariis Persisque fuit Macetumque tyrannis,  
 nullaque non aetas voluit conferre futuris  
 notitiam; sed vincit adhuc natura latendi.  
 summus Alexander regum, quem Memphis adorat,  
 invidit Nilo, misitque per ultima terrae  
 Aethiopum lectos: illos rubicunda perusti  
 zona poli tenuit; Nilum videre calentem.  
 venit ad occasus mundique extrema Sesostris  
 et Pharios currus regum cervicibus egit;  
 ante tamen vestros amnes, Rhodanumque Padumque,  
 quam Nilum de fonte bibt. vaesanu in ortu  
 Cambyses longi populos pervenit ad aevi,  
 defectusque epulis et pastus caede suorum  
 ignoto te, Nile, redit. non fabula mendax

255

260

265

270

275

280

258 polos MU : polum ZGV      261 profundunt MU : refun-  
 $Z^2 A^2$  (*de A siletur*) GV : refen- Z      262 ius  $\Omega$ C : fas V      269 et]  
 haec G      271 latendo *Timpanaro*<sup>2</sup>      272 quem  $Z A^2 U$  : quos  
 $Z^2 MGV$       276 occasum VC